



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Vniuersi ordinis Carthusiensis erga Societatem charitas & beneuolentia.  
XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

post mortem Fabri primus omnium  
emisit, vt ei successus, eiusque locum  
subiisse omnino videretur. Quantum  
verò incrementi, insigni sanctitate nō  
minus quàm nobilitate, huius viri ex-  
emplo & cura res Societatis accepe-  
rint, nemo est qui ignoret: cum tot e-  
ius opera Collegia cōstituta, tot ado-  
lescentes eximia indole, tot matura  
grauitate senes, tot viros vel sangui-  
ne, vel doctrina clarissimos, eius ex-  
emplo commotos, in Societate videa-  
mus. Et hæc quidem antequam Prepa-  
ritus esset Generalis.

*VNIVERSI ORDINIS CAR-*  
*thusiensis erga Societatem charitas*  
*& benevolentia.*

CAPVT XII.

**E**T quoniam de præclaro ordinis  
Carthusiensis erga Societatem  
studio atque benevolentia men-  
tionem fecimus, non erit abs re, sigil-  
latim ea referre, quæ ad sanctissimi  
Ordinis de Societate existimatione,  
atq; testimonium pertinent. Nam qui  
hæc leget, intelliget profectò, quam  
suauem probitatis, ac sanctimonie o-  
dorem, nostri patres ab ipso Soceta-  
tis initio vbique sparserint, quam tam  
qu

que sui admirationem excitauerint: & eorum filij dabunt operam, vt optimo-  
 tum parentum vestigijs insistant: & v-  
 niuersa Societas gratissimam se exhi-  
 bere conabitur religiosis Patrib. Car-  
 thusiensibus, à quibus se tot charitatis  
 atq; fraternitatis vinculis obstructam  
 videt, eosque pro sua tenuitate, quam  
 simillimo munere renumerari. Tanta  
 igitur P. Petri Fabri erat motum gra-  
 uitas, & vitæ integritas, vt omnes ad  
 sui admirationem alliceret: ex quo Co-  
 lonienses Patres Carthusianos ita ce-  
 pit, vt sponte sua cum Reuerendissimo  
 P. Petro de Sardis, magnæ Carthusiæ  
 Supremo, Generalique Priore agerent,  
 & in publico conuentu, qui anno Do-  
 mini 1544. habitus est, curarent, vt Or-  
 do Carthusianus cum vniuersa Socie-  
 tate sanctissimam quandam amicitia-  
 am contrahere, non que in patrem bo-  
 norum suorum omnium, & quasi hæ-  
 reditatis admitteret. Quod quidem fa-  
 ctum est summa animorum consen-  
 sione, & maxima Patrum illorum be-  
 neuolentia sicut ex ijs literis, quas hic  
 subijciam manifestum fiet.

*F. Peter Petrus humilis prior maioris Car-  
 thusiæ, ceterique defintores Capituli ge-  
 neralis Ordinis Carthusiensis, Reuerendo*

in Christo Patri, ac deuotis uiris Dominis Ignatio Praeposito, suique fratribus nouae Societatis nominis Iesu, ubilibet locorum constitutis salutem, quam praeparauit Deus diligentibus se. Audita fama odorifera fratres in Domino dilectissimi, de uestra exemplari conuersatione, salutari doctrina, & uoluntaria paupertate, ceterisque uirtutibus, quibus in tenebris nostri deplorandi saeculi resurgentes, perhibemini homines in uia perditionis errantes ad arctam uiam salutis reuocare, vacillantes stabilire, stantesque ad proficiendum in uirtutibus stimulare, & magnam in Domino Ecclesiae Catholicae fructum afferre: gauisi sumus in Domino, gratias illigentes, quod in tanta desolata Ecclesiae sua calamitate, qua preminur, excitare dignatus est, & mittere novos operarios in uinam suam, recordatus misericordiae suae. In quo quidem sancto opere, cupientes uobis pro nostro modulo cooperari, fraternitatem uestram obsecramus, per charitatem eius, qui pro nobis non dubitauit animam suam ponere, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis: sed in sancto proposito perseverantes, in omnibus exhibeatis uos, sicut Dei ministros, in multa patientia, non deficientes inter labores, pericula & persecutiones quae omnibus pie uivere uolentibus occurrere solent: tempore enim suo metetis non deficientes. Et nos,  
fratres

fratres, si quid poterimus apud Dominum,  
divinis sacrificijs, orationibus, abstinentijs,  
ceterisque pijs exercitijs, quorum omnium  
vobis & successoribus vestris, in vita pari-  
ter & post mortem singularem concedimus  
participationem, vestris pijs conatibus libe-  
ter cooperabimur in Domino, postulantes ve-  
ros vicissim in orationum & bonorum par-  
ticipatione commēdatos suscipere dignemini.

Datis Carthusiæ sub sigillo nostro, Anno  
Domini 1544. feria 5 post Dominicam  
Cantate. Sedente nostro capitulo generali.

## SIGILLETVR.

Pater Prior  
Carthusiæ.

IGNATIVS BENEFACIENS  
malefacta recipit.

## CAPVT XIII.

**F**irmata hunc in modum Societa-  
te, magnæ & turbulentæ procellæ  
ad eam labefactandam sunt exci-  
tatae Romæ quidam vxorem marito e-  
ripuerat, hanc Ignatius à consuetudi-  
ne illius in D. Matth. hæ nuper institu-  
tam domum transferendam curauit.  
Hoc factum ille, quod mulierem mi-  
serè